



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Prudentia futura prospicit. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXXVI. PRUDENTIA.

§. I.

Symbola.

Dividant diem, ac noctem. Gen. I. 14. Prudentia, quasi diei quarti lumen, erumpat; per quam inter faciendâ, & non faciendâ, quasi inter diem, & noctem, dividamur. Aelredus Abb.

Nomine Fachin. 3. Reg. 7. 21. *Fachin.* Hebr. idem, quod *directio*, & *rectitudo*, *Booz*, id est, *in eo fortitudo*. Tropol. quilibet Fidelis, & Sanctus, eget columnâ duplici; ut fiat templum DEI: scilicet *Fachin*, id est, prudenti, rectâque directione, ad decernendum id, quod agendum est: & *Booz*, id est, fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim prærit quasi lux, viam virtutis, & sanctitatis, ostendens: unde dexteram occupat. Cornelius hic.

Prudentia comparatur astutiæ serpentis. Deludit enim incantorem obturando unam aurem cum terra, & aliam cum cauda. Sic viri Sancti, & prudentes, deludunt incantatorem, id est, tentationem diaboli: quia unam aurem obturant caudâ, id est, memoriâ mortis; & aliam obturant terrâ, id est, consideratione propriæ fragilitatis. S. Bonaventura dicit. Sal. c. 28. de prudentia.

Serpens lippientibus oculis feniculi succo medetur; ita & tu veræ prudentiæ pharmacô discute omnes inconsiderationis nebulas. S. Basilius hom. 9. hexam.

Prudentissia amilatur hyacintho. Nam sicut dicit Diosc., Hyacinthus aeri se maximè conformat, ut sit in nubilo nubilosus, & in sereno serenus: similiter homo prudens conformat se decenter statui aliorum, cum quibus habet convenire. Geminiani l. 2. c. 28.

§. II.

Prudentiæ definitio.

Prudentia, est rerum bonarum & malarum, & neutrarum, scientia: partes ejus memoria, intelligentia, providentia. S. August. l. 83. Quæst. 9. 30.

Vera hominis consulti prudentia, discretio est rerum, quæ faciendæ sunt, & non faciendæ: & velut probus nummularius; quod probum est, retinet, & ab omni mali specie cavet. S. Basilius in princip. Proverb.

Prudentia, est virtus electiva boni, & fugitiva mali. Hugo Card. in Prov. 16.

§. III.

Prudentia futura prospicit.

Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu DEI plenus sit? Gen. 41. 38. Joseph sapientissimus habitus est, quod consilium Pharaoni suggessisset; ut fertilitatis tem-

pore omnia regni horrea frumentô completeret, quod tempore sterilitatis usui foret. Ipse Rex eum laudavit. Et sane plenus ille Spiritu DEI dicendus est, qui sibi ipsi prius consultit interea, dum magna apparet in Mundo fertilitas, terraque misericordiâ repleta est (*misericordia tuâ Domine plena est terra.* (Plal. 118. 64.) de virtutibus, bonisque operibus; ut isdem, dum maximè opus habuerit, in tempore angusto, gratiarumque inediâ, in qua de sola justitia agetur, utatur. Bessius Dom. 8. Pent.

Ut inam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deut. 32. 29.

Comparatus est jumentis insipientibus. Pf. 49. 13. Sicut pecudes solum præsentia, & quod in oculis est, spectant, futuri non sollicitæ; ita homo vanus; æternitatis, & vitæ melioris, oblitus; in res præsentis se immergit. Drexel. Daniel c. 12. §. 1.

Vade ad formicam. Prov. 6. 6. Si enim tantillum animal, duce carens, rationis expertus; tantum naturâ duce sibi providet in futurum: multo fortius homo ad imaginem DEI factus ipsum habens ducem, debet in præsentia fructus bonorum operum congregare; quibus vivat in futura vita, quæ nunquam deficiet. Comparatur autem vita præsens æstati: quia nunc, inter ardores tentationum, tempus est colligendi merita futurorum præmiorum. Dies verò Judicii hyemi comparatur: quia tunc nulla relinquetur facultas laborandi pro vita habenda: imò quilibet cogetur comedere de hoc, quod recondidit in horreo suo. Hugo Card. hic. Et apud ratione carentia animalia aliquis de futuro sensus est; ut & nos non præsentis vitæ inhiemus, sed ad futurum sæculum omni studio aspiremus. Non in præsentis sæculo repones, quod in futuro tibi requiem parat, formicæ exemplum spectans? quæ per æstatem hybernium cibum sibi recondit; neq; quia nondum adest tristis hyems, inerte tempus deducit. Clarius l. 1. or. 56. Formicæ sunt prænuntia mortis. Itâ eandem prænuntiare Cimoni, teste Plutarcho in ejus vita, & Neroni. Cum enim hic somniasset, se pennatarum formicarum multitudine oppleri; concitata in se multitudine mortem paulò post sibi conscivit, teste Suetonio. Causam dat Aldrovandus: formicæ, inquit, esse mortis indicium, asserunt; quod terræ filia sint, & in subterraneis caveis habitent; quod etiam mortuorum cadavera inferuntur. Itâ sapiens semper prospicit imminentem mortem. Cornelius hic.

Formica cum hyeme eductum de cavernæ frumentum siccaret, cicada esuriens rogabat; ut aliquid frumenti concederet. Cui formica: quid fecisti æstate? cecini, inquit illa. Si æstate, respondet formica, cantasti, hyeme salta. Masenius Argut. l. 1. c. 4.

Quis

Qui congregat in messe. Prov. 10. 5. Chald. qui operatur in aestate, filius sapiens est. Aestas, & messis, Symbolum est occasiois, sive temporis idonei ad rem bene gerendam. Est etiam aestas Symbolum praesentis vitae; hyems mortis, & status futuri saeculi; ubi nullum est laborandi, & merendi, tempus. Cornelius hic.

Ubi non est scientia animae, non est bonum. Prov. 19. 2. Scientia animae, est sapientia, prudentia, & providentia; quae anima non solum praesentia, sed & praeterita, & futura, prospicit: ut actiones suas ita perfecte componat; ut eas in Judicio Christi tueri possit. Scientia ergo animae, est prudentia, quae consulit animae. Id. hic.

Et si multitudinem scientia desiderat quis, scit praeterita, & de futuris aestimat &c. Sap. 8. 8.

EX NOVO.

Tu es, qui venturus es? Matth. 11. 3. S. Hieron. non ait, tu es, qui venisti? sed, tu es, qui venturus es? Et est sensus: manda mihi, qui ad infernum descensurus sum; utrum te & inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis? Omne Joannis studium in eo versatur; ut quid post mortem futurum sit, sciat. Nulam ad Judices, aut patronos, legationem adornat: in vinculis solutionem non curat; sed, quid post mortem illi conveniat, examinat. Quam aliter plures se gessissent! Naxera in Jos. 16. §. 15.

Prius sedens computat. Luc. 14. 28. Sedere illud, est considerare intra se conscientiae suae secreta. Sedebit solitarius, & tacebit. Thr. 3. 28. Computare, est praevidere per sollicitam considerationem. Unde Glossa: omne, quod agimus, praevire per studium considerationis debemus. Prov. 4. 25. Oculi tui recta videant; & palpebrae tuae praecedant gressus tuos. S. Bonaventura hic.

Laudavit Dominus villicum, quia prudenter fecisset. Luc. 16. 8. Non quia donavit alienum, fecit prudenter; Sed quia sibi providit in posterum. Pars enim prudentiae ipsa prudentia dicitur; de qua optative Moyses in suo Cantico loquebatur: utinam novissima providerent. Deut. 32. 29. Sim. Cas. l. 6. c. 3. Non laudat Dominus, ut inquit Euthym. Theophylactus, Beda; dispensatoris furtum, sed ejus ingenium; quo suo commodo in futurum prospexit; sibi procurans amicos de bonis Domini sui. Sylveira hic.

EX PATRIBUS, & ALIIS.

Prudens, quasi porro videns: perspicax enim est, & in certorum praevidet casus. S. Ihd. l. 10. Euthym. c. 15. Propter quod sancta animalia Ezech. 1. 18. & 10. 12. plena dicuntur oculis, ante & retro, intus & in circuitu: ut praeterita, futura, & praesentia, circumspicerent, & praecaverent. Apud de Ponte in Cant. 6. Exh. 15.

Quia homo amore visibilibus ab invisibili amore cecidit, sola jam visibilia ex peccati pena cognoscit; eaque diligit, solis eis inhaeret;

& invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonaventura de reformatione mentis. p. 1. c. 16.

Nunc dum tibi Mundus arridet, dum carnis fanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet: quae post ista sequuntur, excogita; & jam quasi transactis, quae praesto sunt, illud prudentia vestra solerter examinet, quae praesentibus futura succedant. B. Petrus Dam. l. 4. ep. 5. ad quendam Episc.

Mitte cogitationem in futurum avum, quando non eris. S. Asterius hom. adversus avaritiam.

Quatuor sunt, quae prudentia nos edocet: scilicet praeterita recordari, disponere praesentia, futura praevidere, & dubia disponere. S. Thom. Aqu. opusc. 37. de vit. & virtut.

Quisquis prudentiam sequi desiderat, tunc per rationem recte vives; si omnia prius existimes, & perpenses. Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende. S. Martinus Bracar. Ep. de vera virt. c. 1.

Prudentia vera, & perfecta, est, semper nititur ad agnitionem divinae naturae, & profunditatem humanae miseriae. Ille verè prudens est, qui frequenter pensat quid, bonis, quid malis futurum sit? quanta delectatio sit bonis, uniri summo bono aeternaliter; quanta amaritudo malis, separari à summo bono aeternaliter. S. Albertus M. parad. an. c. 8.

Romani veteres prudentiam pinxerunt vultu triplici: ut quae tria potissimum, tempora, praeteritum, praesens, & futurum, complecteretur. Drexelius Ros. sel. virt. p. 2. c. 1.

§. IV.

Prudentiae alii actus.

Ego dixi in excessu meo. Psal. 115. 11. Magna prudentia geritur, ut sibi aliquis imprudens esse videatur. Cassiodorus hic.

Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Luc. 14. 18. Insipientes homines, voluptates, honores, ceteraque bona, sic emunt: emunt, antequam ea videant, explorant, considerent; quantum in iis periculi sit, & vanitatis. Contra verò de prudente illa domina Prov. 31. 16. legitur: consideravit agrum, & emit eum. Barradius tom. 3. l. 3 c. 14. Dom. 2. Pent.

§. V.

Prudentia major in caducis, quam aeternis.

In hoc seriam vobiscum sedus &c. 1. Reg. 11. 2. Cur diabolus dextris oculis potissimum insidietur? Dexter oculus significat prudentiam spiritualem, sinister carnalem. Non curat ergo diabolus carnalem prudentiam in nobis extinguere, sed spiritualem. Nam Rom. 8. 6. Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita, & pax. Mendoza hic Annot. 8. Sect. 1. Petr. Blef. epist. 14. omnes, qui militant in castris ambitionis, capti sunt à Naas Ammonite, dextrosque oculos amiserunt: perspicaces enim sunt in acquisitione temporalium; jacluram verò vitae, quae praeterit